

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXIX—LXX

INDE AB DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

EPIPHYLLIDES LUCIANEAS

F. V. FRITZSCHII

PRAEMISIT.

LITERIS ADLERIANIS.

INDEX

LECTURUM

ACADEMIA ROSTOCKENSIS

SENIORIBUS LIBRARIO A. ZIDOWITZKY LXX

INDEX AB DIE 27. OCTOBRI

LIBRARIUS ROSTOCKENSIS J. A. ZIDOWITZKY

RECHENKUNDE

V. N. WILKOWITZKY

LEIPZIG

VERLAG VON J. A. ZIDOWITZKY

Notus est, Commilitones, D. Jun. Juvenalis versus hiece: „orandumst, ut sit mens sana in corpore sano.“ Quo loco olim nonnulli sapienter usi ne studiis quidem tantum operis et laboris impendi voluerunt, ut quis animo et corpore aut confecto aut certe adfecto poenas lueret. At hodie multi palam queri non desinunt, acre literarum studium valetudini nocere: id quod ego omnem per vitam semel tantum expertus sum. Saepissime vero ipsam mihi literarum tractationem animadverti salutarem fuisse nec solum ad mentem alendam sed etiam ad corpus reficiendum vim habuisse maximam. Quamobrem bene memores erimus dicti illius Tulliani, qui: „haec studia, inquit, adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.“ Sed ad rem ipsam transeamus.

Magna est Luciani codicum multitudo, magna varietas, magna de eorum dignitate et nexu mutuo inter viros doctos dubitatio est et controversia. Equidem in his quoque rebus ab libris vere Lucianeis unice profectus sum, ex quorum numero tribus voluminibus, quae adhuc edidi, dialogi XVII continentur. Ac de horum quidem codicibus quid ego sentiam, quoniam in praefationibus satis exposui, nunc ad alios dialogos, qui mox ab me edentur, veniendum est. Exordiar ab ea saturā, cui nomen est *ἸΛΛΟΙΟΝ Η ΕΥΧΑΙ*. Constat autem, „vulgatam“ in Luciano scripturam minime ex ed. (a) Florentina quae multo melior est fluxisse sed ex Aldina (c) secunda (Venetiis 1522 fol.), unde editores quum caeteri pendent tum Bourdelotius in (n) Parisina (a. 1615 fol.). Rursus Parisinam a typothetis describi jūsserunt et Hemsterhusius et ut in Praefat. p. IV ipse ait, Reitzius. Quo fit, ut vulgata toties sive mendosa et prava sive manca mutilaque reperiatur et ut tota constet e vitiis Aldinae secundae atque Parisinae una conjunctis: nisi quando aut Franciscus Asulanus Aldi curis secundis usus aut (si forte) etiam Bourdelotius homo semidoctus tacito suum ipsi codicem secuti sunt. Enimvero qualis in ipsis codicibus hic dialogus legatur, adhuc minus poterat notum esse. Omitto Belinum, qui bis terve

inspexerat duo codd. Parisinos, in quibus hic dialogus inest, priorem no. 2956 (*A*), alterum 2954 (*M*): quo accesserunt paucae scripturae libri Graeviani (*V*) et scholiastae. Adhuc enim unus tantum codex ab Solano optime erat collatus, Oxoniensis sive Baroccianus (*D*), cujus tam crebra hoc in dialogo vitia uni codici videri poterant imputanda esse. At ego praeter hunc *D* tribus aliis codicibus usus sum diligenter conlatis, primum Gorlicensi (*A*), quem et ego et alii excussimus, dein Marciano no. 434 (*Δ*) et Florentino (*Φ*), quorum alterum Sommerbrodtius alterum Franciscus de Furia contulit. Nunc demum clare elucet codices ipsos in hoc dialogo scriptos esse vitiosissime. Etenim quod de meis *DAΔΦ* ubique valet, idem certo cadit etiam in *ΔM* Parisinos. Praeterea hic dialogus exstat etiam in duobus Vaticanis, altero no. 87 (*℔*) altero 90 (*I*), uti discere licet a Bastio ad Gregor. Corinth. p. 70. At certo praevidere licet in Vaticanis quoque libris eadem fere vitia inventum iri. Praeterquam enim quod codices omnis fere generis vitiorum pleni sunt, major mendarum pars et frequentia lacunarum ostendere videntur, hancce saturam ad nos pervenisse partim falsis literis turpem partim mancam et prope mutilam, propterea quod prototypi scriptura multis locis legi vix ac ne vix quidem potuerit. In huiusmodi igitur locis cavendum erat, ne vitia codicum pro malis additamentis correctorum vel pro scholiis temere habita simpliciter putarem delenda esse. Ego quantum industria contendere potui, quantum ingenio eniti et ipsa divinatione adsequi, tantum studui efficere, praeclaris aliquot emendationibus quum aliorum tum J. Sommerbrodti adjutus. Longe alia codicum in eo dialogo ratio est, qui dicitur *NIPPINOC*. Et Reitziana quidem „Nigrinum“ plerumque talem exhibet, qualem in Aldina II et Parisina videmus, i. e. „vulgatam“, ita tamen ut raro aliqua lectio adlata sit ex *T* (codice Poli), *U* (Longoli excerptis), *V* (Graeviano), *R* et *Z* (libris Bourdeloti), *X* (Galei collectaneis) et *Y* (margine Aldinae). Postea *M* (Parisinus 2954) a Belino obiter inspectus est, quam conlationem interdum supplevit Boissonadius ad Aristaenetum (p. 396, p. 537, p. 656). In nostra autem editione sex codicum, qui nunc primum diligenter omnes excussi sunt, conlatio exstat. Horum antiquissimus est *B* (Vindobonensis): quem ego etsi ab Jacobitio non male comparatum esse noram, tamen alia ipse conlatione et in textu et in scholiis utendum putavi, quam H. Bonitio V. Cl. intercedente H. Vielhaber mihi curavit. Tum libri *Q* (Augustani tertii) lectiones semiplenae in Schmiederi editione leguntur, mihi autem L. Spengeli conlationem edere contigit. His libris inferior est et Parisino similis *Φ* (Florentinus), cujus olim conlationem ab F. de Furia accepi. Novissime Sommerbrodtius mihi meus trium codicum misit lectiones, Vaticani 87 (*℔*), item Vaticani 90 (*I*) et Marciani 434 (*Δ*), quorum primus ab Hermanno Peter, secundus ab G. Studemund, Professore Wurceburgensi, tertius ab ipso J. Sommerbrodtio diligenter excussi sunt. Et horum quidem librorum scripturas suo quamque loco inserere adhuc licuit: non licuit, id quod doleo, uti „Nigrini“ ab Sommerbrodtio recogniti editione secunda, quam

sero accepi. De dignitate horum codicum sic habeto. Caeteros omnes superare videtur B Vindobonensis, quem etsi jam in Alexandro saepe secutus sum et ibid. in Praefat. p. IV dilaudavi, nunc tamen optimae notae libro tantum tribuo, ut eum satis laudare vix queam. Nuper etiam Siemonsenius (in Quaestt. Lucian. p. 7) hunc codicem jure praedicavit. Quo magis dolendum est, in Vindobonensi, libello nunc vere castrato vix tertiam Luciani partem superesse et in uno „*Δημόνατος Βίη*“ ex iis libris qui servati sunt, B codicem a semetipso defecisse videri. Huic codici proximus sed longo proximus intervallo esse videtur Vaticanus prior (A), quem rursus alteri Vaticano (I') item praestanti libro anteposuerim. Inferiores sunt, non mali tamen ΩQ, quos cave ullo modo contempnas. Itaque codices recens conlati hi sunt: BΩΓΩQΦ, ex iis autem qui olim inspecti sunt, memoria dignos esse censeo inprimis hos, VTUM, quibus dignitate hi cedunt RZXY. In superiore quidem dialogo omnes codices, ut supra dixi, vitiis referti sunt. Quae res nullo modo in Nigrinum cadit, in quo codicibus plurimum tribuo. Tamen sic quoque hunc dialogum vere possum dicere non sane leviter corruptum esse: in quo certum quoddam mendarum genus, ut ad § 25 dictum est, non semel mihi observasse visus sum. Sed „Nigrinum“ a. 1830 in varietate lectionis tunc edita primo recensui, iterumque a. 1853 in „Emendationibus Lucianeis“, ita ut haec recensio non prima sit sed tertia. Praeterea a. 1830 Somnium, Prometheus priorem, Judicium Vocalium cum prima parte Timonis et recensui et vero edidi. Quam recensionem Jacobitius (in editione a. 1836) in universum repetiit paucis non satis recte mutatis. Hoc nunc tandem ideo dicere coactus sum, ne ego ipse Jacobitium expilasse falso existimarer. Nam nunc quoque in „Nigrino“ a prima recensione, quae mea est non Jacobiti, profectus sum. Venio nunc ad aliam saturam, quae nominatur *ΣΥΜΠΟΣΙΟΝ Η ΑΛΗΘΕΙΑ*. Hic quoque libellus vires meas exercuit. Ipsa enim gratia „Convivii“ Lucianei magnaeque venustas facit, ut criticus maculas ab librariis inlatas et naevos tanquam e pulchro corpore tollere studeat. Quae alacritas eo magis augetur, quo saepius quis viderit in tam corrupto dialogo pleraque tamen vitia satis certo emendari posse. Quod ad codices adtinet, uti nunc se res habet unus omnium optimus esse videtur is, qui ab Solano bene comparatus est „Oxonienis“ (D), sed proximum locum occupant „Gorlicensis“ (A), qui ab me aliisque excussus est atque Parisinus 2955 (A) apud Belinum. Tum ad alteram familiam pertinent inprimis codex Marcianus 434 (Ω), cujus conlationem Sommerbrodtio acceptam refero et Parisinus 2954 (M) apud Belinum, qui eum inspexit magis quam contulit. Rarius etiam lectiones adferuntur e conlectaneis Galei (X), Longolii (U) et ex margine Aldinae (Y), rarissime, id quod doleas, e codd. Graeviano (V) et ex ipso Vaticano (I' ad § 12 semel omnino, si recte memini). Itaque Convivium certo in his codicibus legitur: DAΩΩMVT'. Praeterea legi videtur etiam in tertio quodam Parisino, quo Belinus omnino non usus est, passim autem eo usum videmus J. Fr. Boissonadium, quam rem ad § 4 et § 19 adtigi. Sed

cod. Parisinum 2955 (A), quem Belinus perraro inspexerat, totum diligenter contulit vir sane doctus, Carolus Schenkel, Graeciensis. Et haec quidem conlatio ad me transmissa est per virum clarissimum mihique carissimum, Ernestum Lud. a Leutsch, cui et ipsi et Schenkeli gratias ago meritas. Nunc demum elucet, scripturas quae in conlectaneis Galei (X) exstant, ex hoc ipso codice partim sumtas esse, ita ut in quinque dialogis sigla X deleta pro AX tantummodo A rescribi oporteat. Ceterum ejusdem codicis Parisini scholia quoque C. Schenkel pertractavit: quo facto adparuit scholia semigraeca, quae in X insunt, ex hoc ipso codice repetita et latine conversa esse, non „partim ab Italo homine adlita“, ut Hemsterhusius ad Lucian. T. I p. 12 minus recte conjecerat. Dum autem et lectiones et scholia antiqua scrutor, visa sunt mihi in hoc dialogo complura ab correctore antiquo scripta esse, ex quibus in § 12 fin. βόην unum est maxime evidens. Lucianum enim a correctore quodam dedita opera recensitum videri Siemonsenius in Quaestt. Lucian. p. 7 mihi adsensus est. Plerumque autem in singulis libellis singulae scribarum mendae dominari et quasi regnare videntur, ut in illa satira cui nomen est ΖΕΥΣ ΤΡΑΓΩΔΙΟΣ plena sunt omnia glossematis. Sed tempus est ad gravissimum Luciani librum accedere, qui dicitur ΕΡΜΟΤΙΜΟΣ Η ΠΕΡΙ ΑΙΠΕΣΕΩΝ. Hic quidem saepius mihi ingemiscendum erat Hemsterhusi acumen et doctrinam frustra desideranti. Nam ei, qui Hemsterhusio succedere ausus est, J. F. Reitzio nihil admodum auxili tulerunt neque codices quos perraro memoravit Bourdeloti (Z), in quorum numero fuit Anglus (R), neque crebriora Longoli excerpta (U) in quibus manifesto insunt etiam conjecturae, neque paullo frequentiores codicis Poli (T) scripturae, etsi codex ille bonus fuisse videtur, nec denique ipse codex Graevianus, ex quo nuper demum multa protulit Jacobitius cui Graevii conlatione uti licuit. Ita „vulgatam“ in Reitziana nusquam fere correctam videres, nisi Solani adnotatio inserta esset. Nam ab Solano saepe inspectus est eximius codex et caeteris in Hermotimo melior, Marcianus sive Wittianus (E). Quamquam Solanus (ap. Reitzium Praefat. I p. XVI) ipse demonstravit se in Hermotimo utpote festinantem ea tantum loca consuluisse, quae sibi negotium facessivissent neque hunc dialogum ab se conferri integrum potuisse. Quidnam Marciano codice (E) postea factum sit, nescitur: hoc tantum scio, illum ab alio Marciano no. 434 (Z) qui etiamnum Venetiis est differre eique praestare. Postea a Belino inspecti sunt duo codices Parisini no. 3011 (C) et no. 2954 (M), quibus copiis Lehmannum vulgatae defensorem oportebat esse contentum. Prima autem Hermotimi „recognitio“ C. Jacobitio debetur, ante quem editores nullo codice diligentius excusso uti potuerunt. At Jacobitius et e Graeviano (V) multa primus addidit et ipse contulit Guelferbytanum secundum (G). Et hunc quidem in Gallo, ubi cum optimis nunc convenit nunc dissentit, esse dixi „mirum“ (Praefat. p. VII), in Icaromenippo ob tot infimae aetatis notas et dehonestamenta e prima familia exclusi, sed in Necyomantia, ubi cum ipso B plerumque consentit, eundem laudavi (Praef. p. VII

et p. XI). Dilandavit eum etiam Siemonsenius (Quaestt. Luc. p. 9) neglecto ille quidem Hermotimo, in quo ipso indolem ejus nosse magni refert ob meliorum librorum penuriam. In Hermotimo igitur hic codex iudice C. G. Cobeto (in Varr. Lect. p. 105) notae est pessimae, contra C. Halmio auctore (in Annal. crit. Berol. 1838. n. 29 p. 238) notae optimae. Ego omni scriptura excussa Halmio adsentior. Ille vero in Hermotimo non minus quam in Necyomantia et e praecellenti codice profluxit et liber permansit a manu correctorum. Quo factum est, ut ex Hermotimo jam C. Jacobitius hoc maxime libro fretus aliquot vitia recte et ratione tolleret. Ipse ego primam Hermotimi „recensionem“ instituire ausus sum tribus certe libris (GH2) confisus: quibus ubi vulgata Aldinae sola repugnat, hanc adparet plerumque vitio creatam esse. Vindobonensis enim qui numero est 114 (H) diligenti conlatione potitus sum, quem H. Vielhaber rogatu meo excussit: qui liber quum ab me quoque Vindobonae tractari coeptus esset, ad legendum inventus est longe difficillimus. (In Vindobonensi H, Marciano E, Vaticano I et in Marcianis 2 et 22, in his igitur quinque libris continuo ordine ponuntur hi libelli: *Ἑρμότιμος* et *Προμηθεὺς εἰ ἐν λόγοις*, ita ut in plerisque Hermotimo proxime antecedit libellus *Περὶ ἀστρολογίης*). Quumque etiam Marciano 434 (2) Sommerbrodti cura bene tractato uti licuisset, equidem et nostris copiis et prioribus aliquanto eram instructor. Attamen sic quoque mihi ad emendationem quasi ad ancoram saepissime confugiendum erat. Sed sive quis postea Hermotimum totum editurus est sive quae vitia in eo adhuc haerere possunt correcturus: operae pretium facere vix poterit, nisi alium codicem quem ego frustra requisivi et eum caeteris forsitan potiore usurpare licuerit, in quo codice Hermotimus exstat, Vaticanum no. 90 (I). Sed Parisino 3011 (C), qui in IV^o nunc foliis CCCXXXIV constat, in Hermotimo cave multum tribuas. Fuerat ille olim unus codex isque bombycinus (saec. XIII), cujus magna pars mature recisa est. Postea tres aliae partes (quasi novi codices) additae sunt, primum membranacea paucorum foliorum, tum duae chartaceae, quarum prior saec. XIV, altera autem saec. XV scripta est. Hermotimus ibi in partibus legitur chartaceis fol. CCLVI^r—CCLXVIII^v, atque ultima manus incipit fol. CCLXIII in Hermotimo § 58: *οἶμαι ἔγωγε καὶ δίκαιά γ' ἂν πάθοιμι*. Ita totus Hermotimus, id quod codice inspecto etiam C. Bartschius vir doctissimus mihi renuntiavit, in charta ibi scriptus est temporibus diversis. Nempe antiquissima tantum pars codicis C, qua bombycinus est, laudem meretur atque ejusmodi est, ut cum libro Gorlicensi (A) ubique consentiat. Denique paucis disseram de satura *ΔΡΑΠΗΤΑΙ*, cujus sex septem codices nominare licet: BAVCM^{III}U. Ex quorum numero mei sunt duo, Gorlicensis (A), quem ego contuli et Monacensis 336 (II), quem L. Spengellii benevolentiae debeo. De hoc codicillo, qui in hoc dialogo vere est *κράτιστος ἑαυτοῦ* multisque vulgatae caret vitiis, in Praefat. I, 1 p. VII et II, 1 p. VI satis dictum est. Omnium vero optimus est Vindobonensis 123 (B), conlatus ille sive ab Jacobitio sive Schubarto, qui codex § 4 fin. a verbis *καὶ διασώται*

incipit. Praeterea duo Parisinos 3011 (C) et 2954 (M) Belinus passim adiit. Ex iis autem libris, qui jam antiquitus inspecti sunt, familiam ducit codex Graevii (V), qui saepenumero adlatus est. Contra perraro Longoli excerpta (U) et semel tantum margo Aldinae (Y) nominantur. Est autem hic dialogus quum alibi vitiatus atque corruptus, tum circa finem incredibili modo depravatus (inde ab § 22—33). Si a bonis aliquot Gesneri observationibus discedatur, commentarius exstat nullus, neque critici eum nisi perraro adtulerunt. Inter eos autem *ΔΡΑΗΕΤΩΝ* codices, quibus ego adhuc carui, est Venetus 434 (J2), in quo hic liber numeratus est LXIX. Vide Sommerbrodtium in Cod. Marc. Lect. p. VIII.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., h. t. Rector, 1) privatim vitam Jesu Christi quinis diebus h. IX enarrabit; 2) privatim artem liturgicam et homileticam quinis diebus h. X tradet; 3) publice in Seminarii sodalitia homiletica sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.
- D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim symbolicen comparativam sive doctrinam ecclesiarum et sectarum secundum fontes symbolicos quinis diebus tradet h. XI; 2) privatim Joannis et Petri epistolas interpretabitur quinquies h. XII; 3) publice conversatorium exegeticum moderabitur, in quo Jacobi et Judae epistolas sodalibus explicandas proponet die Lunae h. V—VII.
- D. Joannes Bachmann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim Genesin interpretabitur, quinquies p. h. hora VII; 2) privatim Vaticinia Joelis, Amosi, Obadjae et Michae explicabit, quinis p. h. scholis hora IV; 3) publice selecta capita Mischnica explicanda proponet duce Geigero („Lehr- und Lesebuch zur Sprache der Mischna“, Breslau, 1845), bis p. h. horis definiendis; 4) privatissime sed gratis in conversatorio exegetico Psalmos Asaphi et Korachitarum tractabit binis p. h. scholis, die Veneris hora VI—VIII vesp.
- D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem primam quinquies p. hebdomadae h. VIII, 2) privatim historiam doctrinae protestantium quinquies per hebdomadam h. III tradet; 3) publice conversatorium ecclesiastico-historicum binis per hebdomadam scholis et 4) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.

In ordine juridico.

- D. Otto Mejer, P. P. O., docebit 1) jus ecclesiasticum quinquies p. hebdomadae h. XI; 2) juris encyclopaediam quinquies h. IX.
- D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., h. t. Decanus, 1) pandectarum partem primam (praecepta generalia) tradet quinis p. h. scholis h. XII; 2) historiam juris Romani narrabit quinis scholis h. XI; 3) relationum quod vocant instituet die Saturni h. XI—I.
- D. Hugo Boehlau, P. P. O., 1) jus mercatorium et cambiale docebit sexies h. X; 2) historiam juris Germanici narrabit quinquies h. XII; 3) praecepta et doctrinam juris Germanici de bonis conjugum tradet hora commoda.

- D. Theodorus Muther, P. P. O., 1) processum civilem docebit sexies h. IX; 2) institutiones juris Romani tradet sexies h. X duce Salkowski: „Lehrbuch der Institutionen“ (1868); 3) historiam literariam juris narrabit hh. cc.; 4) practicum quod vocant processus civilis moderabitur hh. cc.; 5) Gaji Institution. commentar. IV^{um} interpretabitur hh. cc.
- D. Adolphus Wach, P. P. O., 1) theoriam processus criminalis tradet quinquies p. h. hh. cc.; 2) jus criminale docebit quinis diebus p. h. h. XI.

In ordine medico.

- D. Carolus Strempel, P. P. O., Academiae Senior, valetudine impeditus lectiones non indicit.
- D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.
- D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) publice de morbis cordis diebus Lunae et Martis h. IX, 2) privatim de morbis systematis nervorum diebus Mercurii, Jovis et Veneris h. IX, 3) privatissime de morbis policlinicis die Saturni hh. VIII et IX disseret; 4) exercitationes practicas in clinico medico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. X et XI moderabitur.
- D. Franciscus Winckel, P. P. O., 1) clinicum gynaecologicum quinis diebus hora VIII moderabitur; 2) privatim gynaecologiae partem priorem: artem obstetriciam, quinis horis, 3) publice pathologiam et therapiam partus binis horis docebit.
- D. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis hora XII—I, 2) privatim Physiologiam (functiones vegetativas) quotidie hora VIII—IX docebit; 3) privatissime exercitationes physiologicas bis per hebdomadem horis ternis moderabitur.
- D. Phil. Jac. Guilielmus Henke, P. P. O., 1) publice motus organorum c. h. topographice describet semel p. h. h. VII—IX; privatim 2) anatomes c. h. partem alteram docebit ternis p. h. diebus h. VII—IX; 3) exercitationes histologicas binis diebus h. VII—IX moderabitur.
- D. Theodorus Ackermann, P. P. O., 1) privatim pathologiam generalem diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. III, 2) privatim materiam medicam diebus Martis, Jovis et Saturni h. III tradet, nec non 3) privatissime exercitationes practicas in instituto pathologico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. IV et V moderari perget.
- D. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) Ophthalmologiam quaternis p. h. h. IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—I et dimidia moderabitur, 3) cursum operationum, quae in arte ophthalmiatrica adhibentur horis definiendis docebit.

- D. Franciscus Koenig, P. P. O., 1) chirurgiam generalem diebus Martis et Jovis hora X, 2) chirurgiam specialem diebus Jovis et Saturni hora X docebit; 3) exercitationes practicas in clinico chirurgico diebus Martis, Jovis et Saturni hora XI moderabitur; 4) cursum operationum chirurgicarum horis definiendis habebit.
- D. Franciscus Eilhardus Schulze, P. P. E., 1) Anatomiae comparatae partem alteram quaternis horis per hebdom., 2) histiologiam generalem binis per hebdomadem horis tradet; 3) exercitationes microscopico-anatomicas in eorum usum moderabitur, qui facultatem quandam sibi pararint, senis p. h. horis.
- D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) morbos mulierum tractabit quaternis p. h. horis; 2) cursum operationum, quae in arte obstetricia adhibentur, ternis p. h. horis moderabitur; 3) methodum explorationis gynaecologicae exponet semel p. h.

In ordine philosophico.

- D. Franciscus Volemarus Fritzsche, P. P. O., privatim 1) trinis diebus h. VIII Aeschylus Agamemnonem explicabit; 2) binis diebus h. VIII Aristophanis Ranas interpretabitur; 3) binis diebus h. III P. Terenti Afri Eunuchum explanabit; 4) horis definiendis historiam literarum graecarum summatim exponet. Postremo exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Euripidis Orestes et aliquot libri Lucretiani „De Rerum Natura“ tractabuntur.
- D. Joannes Roeper, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice docebit elementa anatomes plantarum die Saturni h. IX—XI; 2) privatim botanicae generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam, senis diebus h. XI; 3) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.
- D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., privatim 1) agros metiendi doctrinam tradet sexies p. h. h. III; 2) culturam plantarum agrestium quater p. h. docebit h. X.
- D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) Euripidis Bacchas ter per hebdom., 2) Valerii Flacci Argonautica ter per hebdom. interpretabitur. Privatissime quater per hebdom. de Mythographis Graecis et Latinis disseret.
- D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit privatim 1) calculum integralem, ter p. h.; 2) physices experimentalis partem alteram (physicam generalem, acusticam, opticam), quinquies p. h.; 3) geologiam, quater p. h. horis definiendis.
- D. Franciscus Schulze, P. P. O., 1) chemiam docebit et experimentis illustrabit, quotidie h. X—XI; 2) exercitationes chemicas moderabitur, vel diebus Martis et Jovis h. III—VII, vel quotidie h. VIII—I et III—VII; 3) exercitationes agronomicas instituet, horis definiendis.
- D. Carolus Bartsch, P. P. O., 1) publice de Goethii Fausto disseret bis p. h.; 2) privatim artem Germanorum metricam ternis p. h. scholis tradet; 3) privatim historiam literarum provincialium (provenzalisch) ter p. h. enarrabit; 4) Seminarii teutonici philologici exercitationes moderari perget.

- D. Hermannus Roesler, P. P. O., quinis p. h. diebus docebit 1) oeconomiam politicam; 2) administrationem rei finanziariae et militaris.
- D. Fridericus Guilielmus Schirmacher, P. P. O., 1) privatim: de Gallorum seditione a. 1789 exorta disseret quinis diebus h. XI—XII; 2) publice: historiam magnae Britanniae (saec. XVII et XVIII) narrabit binis diebus h. XII; 3) publice: exercitationibus historicis methodum historiae tradet ter p. h.
-
- D. Carolus Weinholtz, 1) „ideismi“ sui elementa ex systemate suo docebit; 2) conversatorium philosophicum, res philosophicas dialectice tractaturus, commilitonibus offert.
- D. Julius Robert, privatim: 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) grammaticam francogallicam docebit quater p. h., gratis; 3) de historia literarum francogallicarum disseret bis p. h.
- D. Salomo Gustavus Ludovicus Cohen, 1) exercitationes practicas in clinico veterinario in eorum usum moderabitur, qui agriculturae student, 2) de animalium domesticorum partu adjuvando, 3) de disciplina publica deque medicina forensi in morbis animalium contagiosis disseret.
- D. Ferdinandus de Roda, in Seminarii sodalitis cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit quater p. h.
- D. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, privatim: 1) grammaticam linguae hebraicae ter p. h. docebit; 2) ter p. h. grammaticam linguae arabicae tradet et librum arabicum: *Enchiridion Studiosi* ed. Caspari interpretabitur; gratis: 3) societatem habebit exegeticam in qua interpretationi libri Deuteronomii praeerit; 4) elementa linguae sanscriticae una cum explicatione libelli: „*Sanscrit-Texte mit Vocabular. Für Anfänger.* Breslau, 1868“, bis p. h. docebit.
-

Bibliotheca Academica extra ferias patebit quaternis diebus h. XII—I, festis diebus et solis die exceptis, ac praeterea quolibet Mercurii et Saturni die h. XI—I, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui alias artes liberales ut gymnasticen profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

O. C. Krabbe, Th. D.

Praesidet ordini Theologorum **J. Bachmann, Th. D.**

Jurisconsultorum **H. A. Schwanert, J. U. D.**

Medicorum **H. B. Aubert, M. D.**

Philosophorum **J. Roeper, Ph. et M. D.**
